



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. V. An conveniens sit in solemni administratione Baptismi, aliquas
cæremonias adhiberi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Christo commoritur, & in novam vitam regeneratur: sed in sacramento Eucharistia commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus, exhibetur nobis quasi Paschale convivium, secundum illud 1. ad Corinthios 5. paschanostrium immolatus est Christus, itaque epulemur: & quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur Baptismus, multoties autem Eucharistia.

113. Tertia ratio D. Thomæ est, quia Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur; unde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec Baptismus. Qua etiam ratione utitur Florentinum in decreto Eugenii, ubi licet: *Tria sunt sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est spirituale signum, imprimunt in anima, indelebile, unde in eadem persona non iterantur.*

114. Quarta ratio est: Baptismus datur principaliter contra originale peccatum: Ergo sicut peccatum originale non iteratur, ita nec debet iterari Baptismus. E contra verò, quia poenitentia est remedium contra peccata actualia, quæ sæpe committuntur, multoties iterari debet.

115. Quæres primò, quid sit faciendum, quando dubitatur, an aliquis sit baptizatus?

Respondeo si dubium sit rationabile, illum esse rebaptizandum sub conditione. Tunc autem dubium est rationabile, cum occurrunt conjecturæ impediens ne animus certò judicet esse baptizatum, aut quando non sunt motiva sufficienter inducentia, moraliter loquendo, ad id credendum. Potest autem esse dubium, an aliquis sit baptizatus, vel qui illi applicatus est Baptismus in forma aut materia dubia, & tunc est dubium juris: vel quia nescitur, an de facto illi fuerit applicatus, & tunc est dubium facti. Ad hoc verò ut non censeatur esse dubium, moraliter loquendo, sufficit quod aliquis fide dignus asserat, Baptismum fuisse cum omnibus requisitis collatum, & si stante hac certitudine aliquis eum rebaptizaret, etiam sub conditione, peccaret mortaliter, quia injuriam faceret sacramento Baptismi, ejus materiam & formam subiecto incapaci scienter applicando: sicut esset peccatum mortale, denuo consecrare, etiam sub conditione, hostiam, quam constaret moraliter esse consecratam. Unde pueri expositi, si secum habeant scriptum testificans illos esse baptizatos, quamvis nomen testis non exprimat, nullatenus sunt rebaptizandi, etiam sub conditione, bene tamen si nullum habeant scriptum, aut certam notam suscepti Baptismi.

116. Quæres secundo, quæ sint poenæ contra rebaptizantes & rebaptizatos in jure statuta?

Respondeo eos damnari poenâ mortis in jure civili, lege primâ, Codice *Ne sanctum Baptisma reueretur*: jure autem Ecclesiastico incurrere irregularitatem. Can. *Qui in qualibet*, 1. quæst. 7. & cap. *Eos quos*, de Consecrat. dist. 4. & capite *Ex literarum*, de Apostatis.

117. Adverte tamen, esse valde probabile, eos qui rebaptizant & rebaptizantur sub conditione, etsi sint certi de collato antea Baptismo, non incurrere irregularitatem, quia ut habetur in cap. *His qui de sententia excommunic.* in sexto, non incurritur irregularitas, nisi habeatur expressè in jure: non habetur autem expressè, nisi contra rebaptizantes & rebaptizatos absolutè. Adde quod, odia sunt restringenda, unde cum lex ista contra rebaptizantes & rebaptizatos sit poenalis,

A non est extendenda ad rebaptizantes & rebaptizatos sub conditione.

ARTICULUS V.

An conveniens sit in solemnibus administrationibus Baptismi, aliquas caeremonias adhiberi?

R. Espondeo affirmativè cum D. Thoma hic art. 10. propter tria. Primo quidem ad excitandam devotionem fidelium, & reverentiam ad sacramentum: si enim simpliciter fieret ablatus in aqua, absque solemnitate, de facili ab aliquibus aestimaretur quasi quadam communis ablutio. Secundo, ad fidelium instructionem: simplices enim qui non litteris erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa &c. Tertiò, quia per orationes & benedictiones, & alia hujusmodi, cohibetur vis demonis ab impedimentis sacramentalibus seclis.

Si autem quæras, quæ caeremonia in solemnibus administrationibus Baptismi ab Ecclesia soleant adhiberi? Respondeo illas ad quinque præcipua capita reduci posse, nimirum ad tempus & locum Baptismi, ad unctiones quæ fiunt in capite baptizati, ad vestem candidam, quæ induitur, & ad candleam accensam, quæ in manu ejus ponitur. De quibus fusè Raynerius in *Pentecologia*, titulo de Baptismo cap. 18. & P. Nicolai ibidem.

In primis ergo, quantum ad tempus Baptismi docet D. Thomas in solut. ad 1. quod solenniter Baptismus agitur in Ecclesia in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio sepulture, & resurrectionis Christi, tum quia (ut supra ostendimus) Baptismus est figura sepulture & resurrectionis Christi: tum etiam, quia Christus post resurrectionem præcepit de Baptismo discipulis dedit, ut habetur Matth. ultimo. Item in Ecclesia solet ministrari Baptismus cum solemnitate, in vigili Pentecostes, quia tunc incipit celebrari sollemnitas adventus Spiritus Sancti, à quo baptismus habet efficaciam, juxta illud Ioan. 3. *Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* Unde & apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperunt, tria millia hominum baptizasse.

Hæc duo tempora Paschæ & Pentecostes, quibus olim conferri Baptismus solebat, elegantissimis versibus describit Fortunatus: *namque Metro 3. de Baptismo Paschali habet hoc versum.*

*Rex facer, ecce tui radat pars magna triumphi,
Cum puras animas sacra lavatra beati,
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia Pastor habet.*

Baptismus verò Pentecostes celebrat hirsutibus 1. Metro 4. ubi ludæos ab Episcopo Avenensi sancto Avito baptizatos, ita describit.

*Ecce dies aderat quo Spiritus almus ab alto,
Missus Apostolicis fluxit in ora rotis.
Res sacra arum colas, urbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia festa jurnat.
Abluitur judans odor baptismate divo:
Et nova progenies reddita fertur aquis.*

Nunc tamen usus ille desit observari, & alii etiam temporibus baptismata celebrari consueverunt.

trunt in Ecclesia, quia ut ait Rupertus libro. 4. de divinis officiis capite 18. Postquam Christianitas crevit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat tantam multitudinem differri, propter occasiones mortis, quae in multitudine hominum multa sunt; maxime propter turbam infantium, quorum tenera vita per sepe levi occasione succiditur, visum est Sanctae Ecclesiae, passim indulgentiam baptizandi concessa, cuncta anteverire pericula. Ob antiquitatis tamen reverentiam & memoriam, adhuc Romae aliqua hujus consuetudinis vestigia servari solent: nam licet aliis etiam temporibus anni, baptismata celebrari consueverint, tamen illis duabus festivitatis (Paschae scilicet & Pentecostes) speciali, ut par est, solemnitate fiunt.

Quantum ad locum, jure divino nullus pro baptismo locus determinatus est, unde olim in fluvii, fontibus, & privatis domibus ministrabatur, ut ex Actis Apostolorum constat; usu tamen & lege Ecclesiastica, statuta sunt certa loca, extra quae non est licitum baptismum solemniter ministrare, ideoque Baptisteria appellantur, in quibus asservari solet vas lapideum consecratum, quod fons Baptismi dici solet, & a Dionysio capite 2. de Eccles. Hierarchia, Mater adoptionis vocatur, de Cathecumeno enim ait: Ad matrem adoptionis venit: quia nimirum in fonte illo, veluti in matrice, & vulva quadam spiritali, Cathecumenus regeneratur, & in filium Dei adoptatur.

Unctiones vero quae in solempni administratione Baptismi fieri solent, exponit S. Thomas art. 10. citato in solut. ad 2. ubi ait duplicem in baptismo fieri unctionem, unam ante baptismum, quae fit in simplici oleo benedicto, in pectore, & inter scapulas, in signum pugnae spiritualis contra inimicum, sicut athleta inunguntur: alteram in Chrismate, quae fit in vertice capitis, quam S. Sylvester instituit, ut notat Hugo lib. 2. de sacram. parte 7. cap. 3. & de qua loquitur Ambrosius libro 3. de sacram. cap. 1. dicens: Unguentum super caput effunditur, quia sensus sapientis in capite ejus, ut scilicet sit paratus omni perenti de fide reddere rationem. Velut ait S. Thomas in 4. dist. 6. quaest. 2. art. 1. quaest. 3. ad 4. Sicut per ablutionem aquae significatur emundatio à peccatis, ita per Chrismatis unctionem in vertice, significatur gratia collata in mente ad bene operandum, ut odor boni exempli ad alios diffundatur. De his multa P. Nicolai loco citato, ubi notat differentiam inter hanc unctionem, & illam, quae fit in Confirmatione: licet enim utraque fiat in Chrismate, & in capite, unctio tamen baptismalis fit in summitate capitis, quasi ad offendendam sanctificationem interioriorem; unctio vero Confirmationis fit in fronte, ad ostendendam perfectionem exterioriorem sanctitatis absque ullo pudore, cujus index & nota est frons, ut docet Rabanus l. 1. de instit. Clericorum c. 29. & 30. cujus verba ibidem adducit.

De veste candida differit D. Thomas hic art. 10. ad 3. dicens quod vestis illa candida traditur baptizato, in signum gloriose resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, & ad significandam puritatem vitae, quam debet post baptismum observare, secundum illud ad Roman. 6. In novitate vitae ambulemus.

Hic addi solet candelam seu cereus accensus in manu baptizati, ut aliis per bona opera prae luceat debere ostendatur. Unde Yvo serm. de sacra-

mentis: Ad ultimum datur cereus accensus in manu baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii, Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in caelis est: quod si perseveranter fecerit, non cum fatuis virginibus, extincta lampade, à janua Sponsi repellitur, sed cum prudentibus glorificandus colligitur. Quin & Rabanus lib. 2. de instit. Clericorum cap. 39. ob mysterium idem addit, baptizatos per septem dies (id est per hebdomadam Paschae) non solum in Angelico castitatis habitu (id est candida veste) sed etiam in luminibus caelestis claritatis (id est cum cereis accensis) assistere sacrificio Missae solere.

Vel etiam dici potest cum S. Thoma in 4. sent. ubi supra, in solut. 5. argumenti: quod sicut per symbolum vestis candidae, significatur novitas vitae, & puritas, per Chrisma vero significatur odor bonae famae: sic etiam per candelam accensam significatur veritas doctrinae quam in baptismo profitemur. Plura de his & aliis Baptismi caeremoniis videri possunt apud Durandum l. 1. de ritibus Ecclesiae c. 19. & Bellarminum libro de Baptismo cap. 25. & sequentibus.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter assignentur tria Baptismata?

Damasceus lib. 4. fidei cap. 10. novem genera Baptismatum distinguit, quae recenset Raynerius in Pantheologia, titulo de Baptismo cap. 9. & ibidem Pater Nicolai. Verum quia inter illa, plura solum figuralia sunt, ut diluvium, transitus maris rubri, & diversae ablutiones veteris legis, merito hanc divisionem Damasceni omittunt Theologi, ut aliam explant, quam tradunt Magister in 4. dist. 4. & D. Thomas ibidem quaest. 3. art. 3. quodlib. 6. art. 4. & hic art. 11. quae breviter exponenda est.

Dico igitur, convenienter assignari tria Baptismata, scilicet fluminis, sive aquae, sanguinis, & flaminis.

Explicatur & probatur conclusio. Illud merito potest appellari baptismus, quod supplet principalem effectum baptismi simpliciter dicti, qui est baptismus fluminis: Sed martyrium quo homo conformatur passioni & morti Christi, & interior poenitentia, possunt supplere effectum principalem Baptismi, si ipsum antecedant, aut si haberi non possit: Ergo merito sortiuntur appellationem baptismi. Major patet, Minor probatur. Effectus principalis baptismi aquae est gratia & remissio peccati: Sed baptismus flaminis, qui est vera cordis contritio, includens votum baptismi, potest causare gratiam, & remittere omnem culpam, sive originalem, sive actuale: similiter martyrium pro Christo toleratum, habet vim remittendi omne peccatum, etiam quoad culpam, ut dicemus articulo sequenti: Ergo baptismus fluminis, & sanguinis, possunt supplere effectum principalem baptismi, licet minus principalem, nimirum characterem, causare non valeant, ut docet D. Thomas loco infra referendo. De baptismo flaminis fit mentio Actorum primo: Baptizabimini Spiritu Sancto, Et de baptismo sanguinis dicitur Marci 10. Potestis baptismum, quo ego baptizor, baptizari? Et Luca 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur.

Posso